



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

3. Epistola Abgari Ad Christum. Euse. lib. 1. cap. 15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Impia damnauit totius crimina mundi,
 Et mores iussit deposuisse malos.
 Perculsas mentes venturi iudicis ira,
 Ad vitæ erexit gaudia leta nouæ.
 Et digito coram populo monstrauit adesse
 Agnum, qui mundi crimina cuncta luat.
 Instituit sacrum primùm Baptismatis vndam,
 Gratia cui summi plena fauoris adest.
 Abluit hæc sordes mentis, non corporis, vnda,
 Atq; monet carnem mortificare pios.
 Hæc igitur præsta sacratio flumine tinctus,
 Flamini auxilio conueniente Deo.
 Pectore firmato cœlestia verba sequaris,
 In Gnatum credens corde fideq; Dei.
 Institue & vitam diuino pneumate motus,
 Quæ placeat Domino, per pia facta, Deo.
 Sit castum corpus, sit mens pia, sancta q; vita,
 Virtuti studeas iustitiæq; nouæ.
 Et sis pacis amans sanctæ: sic certa salutis
 Spes erit æternæ non dubitanda tibi.*

3. EPISTOLA ABGARI AD
 Christum, Euse. lib. i. cap. 15.

ABGARVS VCHANIAE
 filius Toparcha, Iesu saluatori
 bono, qui apparuit in locis
 Hierosolymorum, S.

Audi-

Auditum est mihi de te, & de sanitati-
 bus, quas facis, quòd sine medicamen-
 tis aut herbis fiant ista per te, & quòd
 verbo tantum cæcos facis videre, & claudos
 ambulare, & leprofos mundas, & immundos
 spiritus ac Dæmones eijcis, & eos, qui longis
 ægri tudinibus affli ctantur, curas & sanas,
 mortuos quoq; suscitās. Quibus omnibus au-
 ditis de te, statui in animo meo, vnum esse è
 duobus, aut quia tu sis Deus, & descenderis
 de cælo, vt hæc facias, aut quòd filius Dei sis,
 qui hæc facis: Propterea hæc scribens, roga-
 uerim te, vt digneris vsq; ad me fatigari, &
 ægri tudinem meam, qua iam diu laboro, cu-
 rare. Nam & illud comperi, quòd Iudæi mur-
 murant aduersum te, & volunt tibi infidiari,
 Est autem ciuitas mihi, parua quidem, sed ho-
 nesta, quæ vtriusq; sufficiat.

In Syria quondam celebri regnabat Edessa,

Abgarus populo carus in vrbe suo.

Iudaicis Christus quo tempore claruit oris,

Miraclis implens climata cuncta nouis.

Abgarus morbo Rex decumbebat acerbo,

Quem potuit medici tollere nulla manus.

Facta vbi Rex audit Christi miranda potentis,

A Domino scriptis talibus orat opem:

Ad Syria latos, Iesu clarissime, fines

Venit de gestis inclyta fama tuis.

B 4

Cœlestis mundo tradis quòd dogmata vitæ,
 Morborum verbo tollis & omne genus.
 Claudis quòd gressus, cæci quòd lumina reddis,
 Immundos lepra quòd scabièq; leuas.
 Demones expellis, vexantes corpora tetros,
 Eloquium mutis restituisq; citò.
 Defunctis reddis vitæ quòd munus & vsum,
 Omnia quæ verbo facta stupenda facis.
 His ego diuinis gestis adducor, vt altis
 Te missum è cœlis augurer esse Deum.
 Sive Dei genitum cœlesti semine gnatum,
 Qui specie humana talia tectus agas.
 Estq; tua, vt referunt, bonitati iuncta potestas,
 Qua cunctos summo sepe labore iuuas.
 Ergo etiam accedas, rogo, me, clarissime Iesu,
 Eq; meo morbum corpore tolle grauem.
 Quo miser hac longo conflictor tempore terra,
 Ars mihi quem medici tollere nulla potest.
 Et fama est istis dirum quòd vulgus in oris,
 Te velit eximium fraude necare virum.
 Vrbs licet angustis mihi sit circumdata muris,
 Hac tamen hospitium dulce duobus erit.
 Hac poteris mecum tutus requiescere in vrbe,
 Exigui regni portio clara mei.
 Hac Syria Abgarus Christo Rex scripsit Edessa,
 Talia cui Christus verba benigna refert.

4. RESPONSIO CHRISTI
 ad Abgarum, ibidem.

Beatus